



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Laurentius Ep. 14. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

se fecisse, cùm iis, qui neque unde persolvant, habent, pauperibus rem credidisset. Multum illi eam ob rem uxor negotii faceſſivit. Sed huic identidem ille occinebat: neminem umquam quantumvis prodigum in egenos ad incitas redactum esse: plus dando accipi, quām dari: tutissimum æratuum esse, pauperum ſinum: quod his detur, non donum sed mutuum eſſe: quantum diſſolvere Superi differant, tantum fœnoris ad crescere: & quæ demum mercatura lucrosior poſſit eſſe, quām nummo cælum emere? Probavit hoc ſtudium Numen, cùm caniftrum non magnum portentofam panum copiam, fons etiam merum diſpensatori ministravit. Adhæc poſitū in more habuit, concubia nocte templum precandi causâ petere, quod clauſum aliquoties cùm reperiffet, nobiles illi Atrienses Cælitæ aperuerunt. Ille numquam non vel ad magnæ MATRIS vel FILII effigiem cernuus jacuit, pulchrâ vicissitudine, nunc ab ubere, nunc à vulnere ebrius. Certè ad CHRISTI in crucem ſuffixi pedes in templo vitam poſuit; cùm illa Angelorum verba (*Gloria in excelsis Deo*) homines canerent. Sed ille hæc ſuavius cani ab ipſis Angelis ſcivit. *Ex Surio.*

Nihil eſt dignius, quām ut homo ſit ſui auctoris imitator, & ſecundum modum proprie faculatatis, divini ſit operis exsecutor: nam cùm aluntur eſurientes, & vediuntur nudi, nōne auxilium Dei manus expletu ministri, & benignitas servi munus eſt Domini?
S. Leo ſerm. de Quadrag.

S. LAURENTIUS EP. 14. Novembris.

Parenrem LAURENTII nostri fuiffe ajunt Mauſitium inter Hyberniæ proceres latissimè imperrantem.

perantem. Ob id cùm oculi Regi Dermicio dolerent, Mauritius fidei suæ obsidem in filio, quem natu minimum & charissimum habuit, animum dedit. Et poterat suavissima pueruli indoles barbarum licet cujusvis pectus expugnare. Unus Dermicius rex gratulatus sibi est, quod ægrè denique patri in filio posset facere. Quare innocentissimam animulam vinciri jubet, & in insulam desertam asportari, squalore & sordibus reo utique quam obsidi similiorem. Subjecit ea res justas iræ faces Mauritio, ut è satellitio regio duodenos etiam ipse vinctos abduceret morituro filio, nisi in tempore hic redderetur, omnes uni parentaturos. Mitius proin habitus, & in sacrorum hominum sinu eductus Abbas Glindalacensibus, tum Dublinensibus Archiepis. datus, denique à Pont. ad omnem Hyberniam legatus est. Ergo omnium primò mores Canonicorum in pejus prolapsos ad Majorum regulam correxit, sui etiam severissimus censor. Nam corpus cilicio vestivit, & ter quotidie flagellari à familiari servulo voluit, carneque sibi, quoad vixit, interdixit. Interim ex elegantibus numquam pauciores triginta quotidie convivas habuit, satis ipse jucundissimo hoc oculorum epulo pastus. Ultimò dum pacem pacisci inter Henricum Anglorum & Deriogum Hybororum reges laborat, ab hoc Hyberniā proscriptus, & in Nortmanniā moritur. reperit in exilio patriam. *Ex Lippeloo.*

Multi simplices & humiles celos penetrant; nullus verò arrogans, quamvis artium liberalium polleat scientiâ, ad celeste admittetur convivium, tantoq; gravioribus cruciabitur pœnis, quanto nequius donum Dei tractaverit. S.Laur. Justin.de Castro connub.c.14.